

QK. 534,42.


X 2124990

N. W

II C
1651

N O C T V A
E L E G I A
I N O S O R E S L I T T E R A T O R V M .

Noctua, grata diis, populoque perosa volanti,
Impedior reliquis luce patente frui.
Cum tamen haud faciam, quod possit luce videri
Aetheris indignum, conueniensue Stygi.
Iure maneret eos haec sors, quos semper abuti
Ad scelus et fraudes nocte dieque iuuat.
Qua re deliqui, nisi sint delicta, Mineruae
Artibus, et studiis inuigilare suis?
Tempore cum verso morum quoque forma nouatur.
Hoc nimis ipsa meo sentio docta malo.
Tum quoque, cum iusto regeret sapientia mundum
Imperio, nobis nomen honosque fuit.
Adspice Cecropiae speciosa numismata gentis,
In quibus ex auro nostra figura nitet.
Omnibus in portis, signis, domibusque sacratis
Vrbis Palladiae, noctua picta stetit.
Nunc foribus miserae passis praefigimur alis;
Et patimur furum fata, sumusque ioco.
Imo sub imperiis aquilae quoque nostra vigebat
Gloria, sed nondum rex erat ista biceps.
Splendor at hic cecidit; perierunt tempora nostris
Laudibus apta, quibus dona laboris erant.
Nam, Samiis postquam pauonibus atque columbis
Idaliis hominum gratia tanta venit:
Nos quoque, non nitidae, sed docti laude laboris
Insignes, odiis inuidiaque sumus.



Nunc labor ingeniosus abest, ignauia regnat.

Dulce malum studiis inuigilare putant.

Rarus amat Musas, qui nobilitatis uitiae est.

Iam rarum, doctus qui velit esse, vides,
Non adeo mirum, si, sic contemta superbis,

Arceor altiuoli foedere sola gregis.

Hoc tamen indignum, me sic vilescere cunctis,

Vt vel ab indignis inualidisque petar.

Si modo vim patiar meliorum, quosque potestas

Et Iouis et Martis Mercuriique tegit:

Hoc equidem durum durato pectore fatum,

Et bene tristitiam mente premente feram.

Nunc etiam quaeuis aus ignauissima, quamuis

Parua, meum rostro fodit et vngue caput.

Forsitan inuidia flagrant, meliora videre

Quod mihi prae reliquis Pallas amica dedit.

Cur quoque non illis prudens sapientia cordi est,

Cui vigilo, signum cuius et ipsa vocor?

Heu! mihi (quis credat?) nocet inferuisse Mineruae.

Quod prodesse mihi debuit, istud obest.

Disce, minor, cura maioris cautius vti;

Gratia maioris si cadit, ipse iaces.

Num nocuit gallo Mars aut Epidaurius heros?

Numina num Cereris damna dedere grui?

Mercurius ne suis fulicis exsuscitat iras,

Anseribusque odium Iuno patrona creat?

Si Veneris sacris Martisue Iouisue dicata

Dicerer, haud odiis talibus acta forem.

Ast ego Nyctimene cum sim comitata Mineruam,

Nunc odium terrae credor onusque poli.

Est aliquid, caruisse in eos, quos spreueris, ira;

Te, quem persequeris, spernere quisque negat.

Hoc

Hoc tamen haud curant volucres. Spreuisse videtur
Me pennata cohors, et tamen arma mouet.
Si modo contemnar, possim perferre dolorem,
Non semper spretum debita causa grauat.
Sed simul iratae (quis credat ab alite spreta
Vim metui?) mecum maxima bella gerunt.
Quam graue, quam miserum est, contemto bella cieri!
Irane cum spretu se sociare solet?
Num leo persequitur leporem? num mortis ab vrsi
Dentibus instantis dama pericla timet?
Ast ego, cum videar vilis, tamen opprimor ira.
Et grege me facto dilacerare volunt.
Tot mihi sunt hostes, quot aues per inane feruntur,
Praeter et accipitrem nulla fauere cupit.
Solus is ex auibus Phoebi mea facta probauit
Sedula, nonnunquam suppetiasque dedit.
Sed tamen inuidiae fit gratia magna Mineruae,
Quae bene me volucrum vim prohibere docet.
Non licet inuafisse mihi, sed ab hoste tueri
Corpora nostra probe Pallade docta scio.
Nuper vbi volucrum turmis circumdata, rostris
Vnguibus et saeuis mane petita fui;
Effugium deerat. qua re me comparo pugnae,
Cumque mea corpus colligo mente meum.
Forte viator aues circa me vidit: is infit
Ad comites, Auium concilia ecce noua!
Ni fortasse nouam mirantur quaeque figuram
Alitis, vt Phoenix stantis in orbe gregis.
At mihi nec volucris fiebat concio gentis,
Nec venerans cultus, sed fera pugna fuit.
Dimico reclinis, collectaque prorsus in arctum,
Vnguibus exertis vndique tota tegor.

* 2

Sic

Sic abiere parum laetae ; sed ponere nunquam
Exitium cessant insidiasque mihi.
Ictibus in primis auium me prodere gestit
Coruus Apollineus pectora falsa gerens.
Vin odii causas ? odi mendacia vani
Oris ; ob haec fugio litora, Creta , tua.
Huic ego vaticinabar, eo quaesita, ruinam,
Cum malus ad vetitos vellet abire cibos.
Sacrificaturo Phoebo dimissus aquatum,
Manserat ad ficus, nec referebat aquam.
Ne differret opus, monui benefuada, sed ille
Probra loquens, duro me petit ore suo.
Mox tamen is meritas poenas dat Apollinis irae
Commenti rediens plenus, inanis aquae
Hoc abeunte, nouat cornix mihi bella, sed vnde
Hoc odium veniat, fabula nota docet.
Namque fuit, cum se coleret male fana volucrum
Deciduis pennis, ambitione furens.
Cerno meam pennam, spolia vt sua quaeque reportet,
Suadeo ; quo facto, nuda repente stetit.
Tale quid eueniat, vellem, plerisque superbis,
Qui bona pro rebus dant aliena suis.
Hinc socia est odio reliquarum facta volucrum,
Quod cur suscipiant, proxima causa latet.
Iusta queror, causas dent implacabilis irae.
Nam nisi sunt iustae, talia iusta queror.
Si struerem nidos Sophiae Themidosque sub arce,
Altiuolus populus quod prohiberet, erat.
Nunc patienter eis sublimia tecta relinquo,
Rebus et apta meis infima quero loca.
Et tamen aerias coeli volitare per oras
Me prohibent, & ibi sole carere volunt.

Saepe



Saepe placet, viridi spatiostae frondis in umbra
Blanditias Zephyri vere nouante frui.
Saepe placet, veniente die, residere parumper
Fluminis ad nitidas lene strepentis aquas.
Omnia sed metuo. Vix lenior aura susurrat,
Iam volucres hostes credo venire meos.
Sic misere lateo, caecis occulta cauernis.
Nam loca plena die sunt mihi plena metu.
Quosque timent aliae, latebrarum quaero recessus
Semper inaccessos asperitate rubi.
Et tamen accipitri felix et laude Mineruae
Incluta prae cunctis sola videbar heri.
Haec ego non temere credi volo, ne quis honores
Atque decus casus damnaque nostra putet.
Scilicet iste status rerum, fors ista mearum est,
Vt minimus possit laudibus esse locus.
Gloria talis ei veniat, qui Pallados artes,
Cumque Deae studiis me periisse cupit.
O fatuas auium mentes, quae nostra recusant
Foedera! nonne feris omnibus aethra patet?
Fallimur? an nolunt me comparere, videri
Ne sua pigrities curaque nostra queat.
Felix cui licitum, dotes ex ponere luci,
Resque, laboratas nocte, docere diem.
Ille suis fruitur studiis, et, sole refotus,
Praemia nocturnae sedulitatis habet.
At mihi, quas vigilo, curas monstrare diei
Non datur, et media luce volare negor.
Dicte, pennigerae gentes, cur aeris exul
Audio? cur vsu lucis aquaeque vetor?
Num noceo vobis? num vestrae derogo laudi?
Num cuiquam vestrum bella necemue paro?

Muribus insidias tantum, pictisque lacertis
Instruo: num vobis ista rapina nocet?
Vt rabulis homines, ita vos data praeda manetis
Vulturibus, cur non hos magis ira premit?
Sed bene fit, tandem nostri vindicta per istos
Poenaque contemtus inuidiaeque venit.
Sic equidem queror in vanum. Nam spernor ab istis;
Auribus et surdis verba caduca cano.
Quod potui, feci; volucri Iouis aduolo questum,
Vt mihi ius reddat: spes sed inanis erat.
Gens aquilina, nimis Ioue freta, querentis, vt ante,
Non audit miseras aure fauente preces.
Iustitiae viuit similis plerisque ministris,
Non rem, personas qui trutinare solent.
Quando venit questum pauo radiantibus alis,
Gratia Iunonis magna repente iuuat.
Quando reum defert tenero clangore columba,
Propitiae Veneris nobile numen adest.
Verum ego cum videar studiis addicta Mineruae,
Aeris impediō ius reparare meum.
Num minor est Samiis Paphiisque Minerua deabus?
Et mihi cur odium Pallados istud obest?
Haec Dea tela Iouis Venerisque potentia spernit.
Hinc quoque spernor eis, huius amica comes.
Hoc doleo tantum, me sic ludibria gentis
Imbellis factam non patienda pati.
Bruta columbarum pauidarum turba, quid hostes
Esse mei vultis? quid iuuat ira reses?
Ah! memini causas odii; sed gaudeo factum.
Est aliquid, clades ob bona facta pati.
Vesper erat, fessusque dies iam cesserat astris,
Inque sinu fruticum cuncta filebat aus.

Cum

Cum studio nimio meditandi Pallados aetactae
Forte sopor placidus lumina laffa capit.
Nictat, et obdormit: verum, Cythereide iussus,
Eius in exitium peruigilabat Amor.
Gaudet, adesse locum fraudi. Iam tela pharetra
Promit, vt his pectus figat inerme Deae.
Cum cito, voce mea, multumque strepentibus alis,
Pallados ex oculis somnus abactus abit.
Diua sed insidias vt vidi Amoris, ad hastam
Profilit, arripiens aegida torua suam.
Pallet is, hac visa, ceu Gorgone, crura labascunt,
Tela cadunt, penna praeproperante fugit.
Dixerat iratae Veneri, quae causa fuisset,
Quare non victae Pallados arma ferat.
Hinc Dea paeta mihi cunctorum concitat iras,
Quas quoque molliculo corde columba fouet.
Sed male commissa est Cythereidos vltio vobis;
Parce tuas iras, desidiosa cohors.
Vos equidem haud curo, mihi credite, tuta volarem,
Si modo non hostis cetera turba foret.
Sed mihi saepe meos affines obiicit hostis,
Strix, vlula, atque asio, buboque scopsque vocor,
Haec suboles, fateor, furiis et faucibus orci
Digna, meos mores non imitata fuit.
At mihi quis vitio vertat, quod habere propinquos
Cogor inoptatos dissimilesque mihi?
Nonne propinquorum vobis sors accidit aequa?
Quoque minus vigeas, saepe propinquus obest.
Verum aliquis dicet: diris oneranda videris,
Quod mala portendis, fataque nostra canis.
Ergo mali vestri videor non caufa, sed index.
Causa mali tantum, non odiosa nota est.

Saepe



AK Te 1657

Saepe iuuat, praenosse malum. Si fata cupisses

Scire, tuos oculos, sturne, habiturus eras.

Et tamen haud raro bellis portendo tropaea.

Grata fuit Graecis noctua luce volans.

Sed meritis odiis dicor quoque digna Lyaei;

Taedia cum veniant nostra per oua meri.

Pace dei tanti dictum volo, semper abusus

Vini communis maxima causa mali est.

Hinc mea sint nimiis medicina bibacibus oua.

Prae podagra praefstat taedia ferre meri.

Sin, habeant podagram, quibus est exosa medela

Nostra, meumque genus qui periisse volunt.

Plura queri poteram, sed quid querimonia prodest

Quaerenti contra vim potioris opem?

Quae queror, et patior semper, Dea magna, Minerua,

Me non digna vides, inuidiosa tibi.

Pace tua liceat famulae dixisse, videris

Ipsamet exitii proxima causa mei.

Namque tuis studiis operor male cauta, veneno

Desidiae, quod amat, me minus, omnis auis.

Ergo tuis rebus pereo, male tuta per istas;

Cur tamen haud prohibes, quod prohibere decet?

Cur ego, ne peream, studiis valedicere nolo,

Telaque, queis vecors vulneror ipsa, gero?

Nescio, quid faciam, dolor improbus omnia suadet.

Te tamen haud linquam, me modo, Diua, iuua.

Crede mihi, res est diuina, iuuare clientem,

Conuenit et tantae, quanta videre, Deae.

Si merui, nec digna tibi putor aeris vsu,

Me cito de studiis pelle, vel ipsa neca.

Si tamen haud merui, mea probra nec aegide pellis,

Diceris incassum, Diua, fauere mihi.

* * *

AK. 534, 45.

X 21

N O
E I
IN OSORES I

Noctua, grata diis,
Impedior reli
Cum tamen haud
Aetheris indi
Iure maneret eos haec so
Ad scelus et fraudes
Qua re deliqui, nisi sint
Artibus, et studiis in
Tempore cum verso mor
Hoc nimis ipsa med
Tum quoque, cum iusto
Imperio, nobis non
Adspice Cecropiae specie
In quibus ex auro r
Omnibus in portis, sign
Vrbis Palladiae, nod
Nunc foribus miserae pa
Et patimur furum f
Imo sub imperiis aquilae
Gloria, sed nondum
Splendor at hic cecidit;
Laudibus apta, qui
Nam, Samiis postquam
Idaliis hominum gra
Nos quoque, non nitida
Insignes, odiis inui

TIFFEN® Color Control Patches

© The Tiffen Company, 2007
Black
3/Color
White
Magenta
Red
Yellow
Green
Cyan
Blue

